



Per.
Lat
020

Moderator (szerkesztő — Schriftleitung) ephemeridis
IOSEPHUS WAGNER DR. *Budapest, XI., Lágymányosi-
utca 20. szám (telephon: 68—6—34), ad quem epistulae
et manuscripta mittantur.*

Administrator (kiadó — Geschäftsstelle) ephemeridis
ALEXANDER REGÉNYI, *Budapest, VII., Barcsay-utca 5.
szám (telephon: 49—2—15) ad quem pecuniae quae-
cunque dirigantur. (Postatak. csekkész. 57.292.)*

Prodit Budapestini decies in annō. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris
nationibus 4 pengő.

Oratio Suae Eminentiae Theodori Innitzer.

(Die 28. Sept. 1935.)

Sua Eminentia Cardinalis princeps archiepiscopus Vindobonensis, quomodo de Hungaris sentiret, paucis ante mensibus Pragae in congressu catholico manifestavit, cum orationem in sectione Hungarica habitam his verbis Hungaricis incepit: «Isten hozott benneteket!»¹ atque finivit: «A magyarok Istene áldjon meg benneteket!»² Nuperrime autem, cum in iubilaeo universitatis Budapestinensis una cum 31 viris doctissimis doctor honoris causa salutatus est, nomine virorum decoratorum hac quae sequitur oratione Latina gratias egit.

Celeberrimae scientiarum Universitatis Budapestinensis laureā³ honoris causā coronatus, nescio, quibus verbis utar, ut nomine omnium nostrum, qui nunc adepti honorem sumus, digne exprimam gratitudinis nostrae sensus. Oportet nos rēvērā gratias agere quam maximas, easque, quod ad me attinet,⁴ ago ex corde gaudio pleno, cum mihi Austriaco talis honor ex parte eruditorum Hungariae obvēnit.

Natio Hungarica, quod⁵ res scientiae spectat⁵, ab antiquis iam temporibus intime iuncta erat cum Austria et imprimis cum Universitate Vindobonensi, in qua, ut ex documentis patet, inter quatuor nationes huius Academiae natio Hungarica semper magni aestimabatur et honorifice *natio inclita, insignis, nobilissima et amplissima* vocabatur. Saeculo XV. permagnus numerus scholarium⁶ ex Hungaria Vindobonam venit; et in nostra Cathedrali Ecclesia Vindobonensi ad Sanctum Stephanum quotannis diem 27. Iunii, diem fes-

tum sancti regis Ladislai, Hungari, solemniter celebrabant. Iniquae⁷ sequentium temporum vicissitudines hunc intimum nexum, quod scientiarum studia attinet, inter Hungariam et Austriam interruperunt. Sed mox refulsit in Hungaria *Petrus Pázmány Vardiensis*, qui per tres annos philosophicis studiis in Collegio Vindobonensi Societatis Iesu incubuit et deinde Romae clarissimos in theologia magistratos habuit, tantosque in literis fecit progressus, ut in Academia Graeciensi⁸ summa cum approbatione philosophiam et theologiam docuerit. In patriam Hungaricam redux de religionis bono et de scientiarum incremento⁹ optime meritus, tandem *Cathedram Strigoniensem conscendit* et plurima condidit atque fundavit seminaria, ex quibus unum, *Pázmá-*

¹ «Salvete!» ² «Deus Hungarorum vobis benedicat!»
³ babér = Lorbeer ⁴ illet = anbelangt ⁵ tekintetében =
in Betreff ⁶ diák = Student ⁷ kedvezőtlen = ungünstig
⁸ gráci = von Graz ⁹ fejlődés = Fortbildung

neum dictum, adhuc Vindobonae floret. Cardinalis Pázmány fundator quoque est *Universitatis Tyrnaviensis*, quae postea in hanc Regni Hungariae urbem capitalem translata est.

Alumni Collegii Pázmániani frequentant Almam Matrem Rudolphinam; cumque ego ipse in eadem scientiarum Academia studiis theologicis operam darem, iam illo tempore haud paucos Hungariae filios sodales habui, qui cum ingenio, tum diligentia ferrea ditati¹⁰ in studiis excellebant. Sodales mihi carissimi fuere, quorum in hac hora festiva libentissime recordor.

Per 21 annos deinde ipse professor in Universitate Vindobonensi fui et permultos Collegii Pázmániani alumnos in scientiam biblicam Novi Testamenti introduxi. Horum auditorum attentio in praelectionibus¹¹ et optimi in sacra scientia progressus mihi magistro vere satisfecerunt.

Aliud adhuc Vindobonae initio saeculi XIX. exortum est Institutum, quod Hungaris simul et Austriacis patebat: Caesareum¹² et Regium *Institutum ad Sanctum*

Augustinum, cui nunc Collegium Divi Thomae successit. In Instituto ad Sanctum Augustinum decursu temporis non tantum magnus numerus sacerdotum ex Hungaria provenientium studiis incumbere pro adipiscenda in Vindobonensi Universitate doctoratus in sacra theologia laurea, sed etiam haud pauci studiorum directores nationis Hungaricae magno successu docentes apud nos in Austria honorifice nominantur.

Liceat mihi proferre nomen Eminentissimi Cardinalis Ioannis *Simor*, qui in hoc Instituto fuit quondam unus ex directoribus et tandem Primatis Hungariae dignitatem adeptus, lite-

ras et artes maecenatis instar¹³ fovit.¹⁴ Nomino Iosephum *Dankó*, virum doctissimum, qui conscendit cathedram studii biblici veteris testamenti in nostra Universitate. Nomino ex recentioribus temporibus viros, quorum clara merita ipse expertus sum, viros, qui formandis et instruendis Clericorum mentibus in Augustineo operam¹⁵ navarunt.¹⁵ Recordor

Colomanni *Belopotoczky*, Episcopi castrensis, fautoris et amici Austriacae Societatis, quae a Summo Pontifice Leone XIII. nomen fert, Episcopi Cassoviensis Augustini *Fischer-Colbrie*, Episcopi Veszprémiensis *Ferd. Rott*, quem laeti inter vivos salutamus, Canonici *Jaurinensis*¹⁶ nunc iam in pace Christi quiescentis Andreae *Werdnich*, qui apud nos iure merito magna aestimatione gaudebat.

Sed sufficiant haec pauca exempla illustrantia intimam Hungariae cum Austria in sacrae theologiae studio necessitudinem.¹⁷ Connubio politico iam non sumus uniti, sed commercio spirituali manemus et in posterum iuncti. Exstat quaedam eruditorum

Respublica, quaedam Spirituum Confoederatio internationalis, quae non coarctatur¹⁸ regnorum et regionum limitibus, sed omnes complectitur homines cultos cuiuscumque linguae et intime unit illos eruditos, qui omnibus viribus serio adlaborant, ut veritas in dies magis patescat.

Et ista quoque celeberrima universitas Budapestinensis, Hungaria quamvis crudeliter deminuta, nihilominus tantam pollet¹⁹ auctori-



¹⁰ gazdagon = bereichert ¹¹ előadás = Vorlesung
¹² császári = kaiserlich ¹³ példakép = Muster ¹⁴ pártol = begünstigen ¹⁵ tevékenykedik = etwas eifrig betreiben
¹⁶ győri = von Raab ¹⁷ baráti viszony = freundschaftliches Verhältnis ¹⁸ korlátoz = einschränken ¹⁹ bővelkedik = reich an etwas



tate scientificā, ut omnes eruditi externi laureā ab ipsā iisdem tributā laetentur et glorientur.

Veritati servire nobilissimum est officium eruditorum omnium gentium. Hoc studium veritatis unit mentes et corda, et inservit pacificationum. Pacem parant, qui serviendo veritati fovēt¹⁴ caritatem. Praeclarissimum talis inter nationes Confoederationis in veritate, caritate et pace exemplum universo mundo praebet inclita et insignis Universitas Budapestinensis hac die coronans etiam viros aliarum gentium honoris causā laureā doctoratus.

Pro tali honore nobis collato²⁰ liceat grates referre verbis illius cantici, quod scholares⁶ nostri cantare solent :

Vivat Academia, vivant professores,
Vivat membrum quodlibet,
Vivant membra quaelibet,
Semper sint in flore !

²⁰ részesít = erweisen



Adventus Suae Eminentiae Cardinalis Th. Innitzer in Sophiano.

Carissime Domine Moderator !

Novo anno scholastico denuo incepto eventum¹ rarissimum et excellentissimum, id est quomodo Sua Reverendissima Eminentia Cardinalis Th. Innitzer institutum nostrum viserit, etiam Tibi omnibusque lectoribus Iuventutis haud ingratum fore puto.

Sua Eminentia cum hospes ordinis Cisterciensis nonnullas dies Budapestini versaretur,² a. d. III. Kal. Oct. scholam nostram cum duobus comitantibus dominis reverendissimis asperxit. Septimā horā mane sacra³ apud nos administravit ;³ deinde nos omnes in scholam venientes adventu eius gaudio impletae convenimus Suam Eminentiam salutaturae. Reverendissimus Cardinalis magna cum clementia nos accepit et hortatus, ne in actione Catholica et caritativa cessaremus,⁴ discipulas Sacratissimi Cordis Jesu carissime allocutus


est. Orationem exclamatio linguā Hungaricā : «Vivat Hungaria !» finivit.

Paulo post praelectioni⁵ Latinae nostrae, classis VIII., maxima cum oblectatione adfuit. Recitavimus ei carmen 30. libri III. Horatii, postea de satira VI. libri I. narravimus. Sua Eminentia Latinitatem nostram his fere verbis laudavit : «Ego quidem stupeo⁶ — ait ridens — vestrā scientiā diligentiaque maximā. Ego non potuissem ! Vos omnes iam doctores estis. Admiror ! Gratias ago vobis !» Professore nostrae gratulatus vale-dixit nobis, nos autem laetissimae pro adventu Suae Reverendissimae Eminentiae gratias egimus, qui adhuc alias classes visit. Nos omnes beatissimae et maxima cum gratia Suae Eminentiae memores erimus, qui adventu Suo nostram scholam tanto cum gaudio affecit. Gratissimae erimus, si hic eventus egregius etiam in Arena Iuventutis descriptus apparere potuerit.

Multis cum salutationibus

Magdalena Fajcsék
disc. gymn. cl. VIII. Sophiani.

¹ esemény = Ereignis ² időz = sich aufhalten ³ misét mond = Messe lesen ⁴ elernyed = nach lassen ⁵ tanítás = Unterricht ⁶ álmélkodom = ich bin paff



Victor Hugo.

Memoria clarissimi poetae et acerrimi humanae libertatis¹ propugnatoris¹ hoc anno, qui post mortem eius est 50., a Francogallis summā cum pompā celebratur. Nos quidem Hungaros celebratione Victoris Hugo supersedere² nefas est, quippe qui cum post anni 1848. atram cladem gravissimo servitutis iugo premeremur, libertatis Hungaricae oppressionem nefariam esse et barbaram magnā voce proclamare³ nunquam destiterit. Nostratum⁴ vero Alexandri Petőfi et Ludovici Batthyány memoriam redintegrans populares⁵ suos usquequāque⁶ cohortabatur, ut rebus Hungarorum afflictis subvenirent dixitque fieri non posse, ut unquam aliqua gens exstinguatur, nam ius esse stellam, quae nonnunquam obscuretur, ut iterum clarissimā cum luce appareat idque Hungaros probaturos⁷ esse exclamavit.

¹ szabadságharcos = Verfechter der Freiheit ² elmulasztani = sich hinwegsetzen ³ hirdetni = verkünden ⁴⁻⁵ honfitárs = Landsleute ⁶ folyton-folyvást = fortwährend ⁷ bebizonyítani = beweisen

Victor Hugo poësis, quae vocatur romantica, exstitit dux et signifer alacerrimus, sed praeter poësis studia totum se in fluctus⁸ civiles⁸ ingurgitavit,⁹ ut libertatem tueretur. In exsilium pergere coactus in insula Guernesey cum coniuge et liberis domicilium constituit. In summa rupe domum aedificavit, in cuius



Apotheosis Victoris Hugo (pinxit Gill).

excelsissimo loco conclave vitreum extruxit, ubi litteris operam navabat maris fluctibus circum strepitibus. In tecto autem balneum struxit quoquo versus¹⁰ patefactum hiemeque corpus frigoribus ac ventis obiciebat. Puerorum catervā se cingebat, quos cotidianā cenā¹¹ impertiret¹¹ dieque Christi natali opulenter¹² muneraretur.

¹³ 20 fere annos ibi in conspectu¹⁴ infiniti et immensi maris egit.

Multi homines ad eum peregrinantes comaeabant.¹⁵ Litterae, quae tantum inscribentur: «Victori Hugo in Oceano», sine mora, perferebantur. Quae vero in insula litteris mandavit, tamquam divinitus¹⁶ scripta in Galliam pervenerunt. Cum vero narratio, quae *Miseri* (*Les Misérables*) inscribitur, historiam ergastularii¹⁷ continens instar¹⁸ carminis epici plebis edita esset et in taberna libraria Pagnerre prostaret,¹⁹ vulgus sextā matutini temporis horā tabernam irrupit. Paucis diebus 5 milia librorum huius operis dividenduntur.²⁰

Exacto denique Napoleonte III. poëta in patriam revertitur. Stationem Bruxellensem intrans accedit ad fiscum²¹ tesserarium,²¹ ubi singultim,²² quā Lutetiam Parisiorum veheretur, tesseram rogat. Turba reverentiae plena eum circumstetit. Tractu²³ cum vehi coeptus esset, Hugo horologio ex sinu prompto «19», inquit «annos hoc tempus exspectabam.» Haec dicenti lacrimae per genas labuntur. Lutetiam Parisiorum demum cum advenisset, summo studio a turbā velut lymphatico²⁴

furore²⁴ percitā²⁴ accipitur. Totae horae abeunt, dum currus, quo poëta vehitur, ex statione viae ferratae proficiscitur, multae horae, cum tandem domum amici pervenit, in qua primam post reditum noctem egit. Senex venerabilis deinde tamquam oraculum aditur, cuius vox singulari excipitur²⁵ observantiā et admiratione. Petrus, imperator Brasiliae, cum a poëta rex compellaretur «Hic», inquit, «solus Victor Hugo rex est». Car. Aes.

⁸ a politikai küzdelmekbe = in die Stürme der Politik
⁹ belemerült = stürzte sich ¹⁰ minden oldalról = nach allen Seiten hin ¹¹ megebédeltette = ausspeiste ¹² gazdagon = reichlich ¹³ megajándékoz = beschenken ¹⁴ szemben = im Angesicht ¹⁵ jártak hozzá = suchten ihn auf ¹⁶ isteni sugallatból írt = wie durch göttliche Eingebung ¹⁷ börtönviselt = Sträfling ¹⁸ mintegy = gleichsam als ¹⁹ kapható = ist zu haben ²⁰ szétkapkodták = wurden vergriffen ²¹ jegypénztár = Fahrkartenschalter ²² remegő hangon = mit zitternder Stimme ²³ vonat = der Zug ²⁴ örült módon = wie von Wahnsinn befallen ²⁵ hallgatók = lauscht man zu

De Mauritio e comitibus¹ Benyovszky.

Acta diurna² Varsoviae nuperrime edita terrae motu³ illo formidulosissimo, quo etiam insula Formosa devastata est, nuntiatio, repetunt⁴ memoriam Mauritii e comitibus Benyovszky, viri illius audacissimi variisque casibus iactati, qui saeculo XVIII. illā in amoenissima insula magnam sui famam reliquit.

Si quis litteris Polonicis operam navaverit⁵ cognoscendis, vitam resque gestas Mauritii Benyovszky a multis et iis clarissimis descriptas atque etiam versibus ornatas⁶ esse videbit scriptoribus. E. gr. (= exempli gratiā) Slowacki poëta Polonorum vere clarissimus poemate quōdam dramatico res gestas Mauritii Benyovszky celebravit, Sierosovski praeses Academiae poësis Polonicae fabulā Romanensi⁷ memoriam viri huius famosissimi ab oblivione vindicavit.⁸ Sed non tantum scriptores Polonici, verum etiam Hungari (e. gr. Jos. e comitibus Gvadányi, Jos. Gaál, Ant. Radó aliique), permultas easque pul-

¹ gróf = Graf ² ujságok = Zeitung ³ földrengés = Erdbeben ⁴ felfrissít = erneuern ⁵ fāradtságot fordítani valamire = sich Mühe geben ⁶ magasztalni = preisen ⁷ regény = Roman ⁸ megóv = retten

cherrimas de Mauritio Benyovszky composuerunt fabulas.

Benyovszky in Hungaria nobili loco est natus, sed quum multis vim intulisset, ut bonis fortunisque eos everteret,⁹ ex Hungaria decedere coactus in Poloniam se contulit. In bello cum Russis gesto ab hoste capitur et exsilio multatus¹⁰ in paeninsulam¹¹ Cam-schatcam deducitur. At Mauritius Benyovszky nihil non fecit, ut libertatem recuperaret. Ab Afanasia, filia gubernatoris paeninsulae adiutus seditionem concitavit¹² navique quādam Rus-sorum captā unā cum Afanasia et XCVI sociis «in altum vela dabat». Multis variisque casibus, iactatus primū in insulam Formosam venit, ubi animos indigenarum sollertiā et fortitudine ita devinxit,¹³ ut ei virum hunc audacissimum principem ducemque sibi creaverint.

At non is erat Mauritius Benyovszky, qui aliquo loco diu maneret. Novorum casuum¹⁴ cupidine ductus aliasque regiones lustraturus Formosam reliquit. Multis variisque iniquitati-bus¹⁵ exercitus¹⁶ ad insulam Delphinam, quae vulgo Madagascar appellatur, navem appulit, ubi ab incolis rex est creatus. Sed Francogallis, qui insulam illam suae dicionis¹⁷ facere volue-runt, resistere non potuit et ipse in proelio ex vulneribus mortuus est. Benyovszky iam pri-dem mortuus est, at memoriam eius in insula Formosa nulla unquam obscurabit oblivio.


Vincentius Gombár.

⁹ birtokából (vagyonából) kiforgatni = um seinen Besitz bringen ¹⁰ sújtva = bestraft ¹¹ félsziget = Halb-insel ¹² szít = anstiften ¹³ megnyer = ergeben machen ¹⁴ kaland = Abenteuer ¹⁵ megpróbáltatásokon = Wider-wärtigkeiten ¹⁶ átmenve = hart geprüft ¹⁷ meghódít = erobern.

Ad Hungaros.

Multi sumus?	Ub' aliquid capias:
Non est humus?	Evites miseriae...
Nihil panis?	Ergo Christo principe
Nihil vestis?	Ferrum vetus recipe!
Penuriā ¹ fessi estis?	Omnes vires tendito!
O, mi care Hungare,	Nihil morae! Subito!
Non est terra, nec mare.	Stephanus Farkas.

¹ nélkülözés = Entbehrung



LECTORIBUS MINIMIS.

Insignia ordinis Sancti Jacobi.

(Narratiuncula Victoris Rákosi.)

«Etiam ego rursus in campis sanguine respersis incedo, coemeteriis* ingentibus peregrinor et cruces novas pono in tumulis heroum.» — His verbis in-troduxit *Victor Rákosi* librum suum qui inscribitur : «Cruces novae». Quocum non solum iis, quibus ne crux nuda¹ quidem datur, sed sibi quoque monu-mentum aeternum fecit. Nam quis non teneat recenti memoriā eum, qui nonnullis annis ante scriptor satyricus celeberrimus Hungarorum fuit?

75 annis ante, die 20. Septembris anni 1860. in oppido quodam parvo, familia civili ortus est. Iuvenis scriptor² actorum² diurnorum² factus, se ad litterarum studia contulit. In operibus et voce maximae pietatis memoriam heroum mortuorum complectitur, et perversitatem³ hominum vividis coloribus depingit. Virtutes humanitasque bonorum virorum ex operibus Victoris Rákosi affulgent. Praesertim narratiunculae iocosae, quas nomine «Sipulusz» edidit omnibus lectoribus placuerunt. Usque ad exitum vitae maximā cum fecunditate scribebat. Annum agens aetatis 63. animam nobilem semperque hilarem exspiravit.

Historia hilaris⁴ Posenio, ex patria bisoccto-rum⁵ nuntiatur. Res tantum nuperrime ac-cidit, sed Posenienses iam satis cachinnabant.⁶ Igitur pars delectationis nobis quoque capienda est.

Fieri non potest, quin patrem⁷ P. videas, cum Posenium profectus es. Ille est enim pos-sesor cauponae⁸ celeberrimae et clarissimae ur-bis regnique. Ubi ita potes bibere, uti certe dii deaeque in Olympo potabant, cum centenarium quoddam divinitatis Iovis epulis sollempnibus celebravissent, ad quas ille senex Fulgurator optima protroporum⁹ apportanda curavit. (Ea quoque haud dubie ex horreo¹⁰ vini patris P. emi iussit.)

Sententia veterrima familiae P. est : «In vino divitiae.» Quam sententiam magnifice demon-stravit familia, quae opes vino debet.¹¹ Sed

* temető = Kirchhof ¹ dísztelen = schmucklos ² újságíró = Journalist ³ fonákság = Verkehrtheit ⁴ vi-dám = heiter ⁵ kétszersült = Zwieback ⁶ kacag = laut lachen ⁷ bácsi = Väterchen ⁸ kocsmá = Wirtshaus ⁹ aszúbor = Ausbruch ¹⁰ pince = Keller ¹¹ köszönheti = hat zu verdanken

enim omnes Dei beneficiorum memores sunt. Tota familia religiosissima est, at praesertim pater P. Pulchros inauratosque libros¹² pre-
 cationum¹² habuit, ex quibus in templo maximā
 cum religione orare solebat. Sed conscientia
 quiescere non potuit, et minime erat religione
 contentus, quam per se¹³ parum¹⁴ esse sensit,
 et aliquid doni sibi ad altare Ecclesiae feren-
 dum putavit. Exadversus locum, quo in templo
 sedere solebat, paries nudus omnibusque carens
 ornamentis exstitit. Quem cum pius¹⁵ spectaret,
 haec vastitas¹⁶ evidens maxime displicuit.

Tandem picturam pulcherrimam faciendam
 esse in animo statuit. Sed nescivit, quis de-
 pingendus esset. Consilio domestico imago
 Sancti Jacobi, patroni familiae, pingenda pla-
 cuit. Et cum nullam picturam fide¹⁷ dignam¹⁷
 Sancti Jacobi ex eo tempore haberemus, deni-
 que optimum factu visum est, si pater P. uti
 Sanctus Jacobus depingeretur. Hoc enim mos
 communis patronorum est, et pater P. tantum
 exempla usitata sequebatur.

Igitur statim artifex quidam illustris Vindo-
 bonā devocatur. Pictor formam ac speciem
 patris P. adumbrat,¹⁸ et Vindobonam revertitur
 picturam a se brevi perfectum iri promittens.
 Pater P. iam maxime cupidus¹⁹ erat — Sancti
 Jacobi videndi. Ne in templum quidem ivit,
 dum pictura afferretur. Tandem aliquando pic-
 tor cum tabula advenit. Omnes Sanctum Jaco-
 bum in persona patris P. contemplaturi con-
 veniunt. Imago, quae necessarie solito tabula-
 rum ecclesiasticarum modo facta est, omnibus
 placet. At pater P. mox maestus fit: «Pictura,
 dixit, quidem pulcherrima et mihi simillima
 est, verumtanem non contentus sum». «Quare,
 domine?» — rogavit artifex anxius.²⁰ — «Ali-
 quid deesse video.» — «Quidnam?» — «In-
 signia ordinis.» — «Quid? Insignia ordinis
 Sancti Jacobi? Nescio, Domine, habueritne
 talia.» — «De meis loquor. Nam tria insignia
 habeo. Iam vero me illis carentem non depin-
 gēs.» — «Sed, rogo humillime, ita tabula de-
 turpabitur.²¹ Quis Sanctum Jacobum cum in-
 signibus vidit?» — «At quis me sine eis vidit?»
 — «Consentiamus,²² quaeso, de pictura. Aut
 Sanctum Jacobum insignibus carentem expri-
 mat, aut sit pater P., et tum insignia quoque
 depingam, at nullam tabulam ecclesiasticam
 habebimus.» — «Et Sanctus Jacobus, et ego

totus permaneamus in pictura. Quae res tibi
 coniungendae sunt. Refer picturam!»

Artifex abit et nonnullis diebus praeteritis
 revertit.

— Quaestionem, domine, optime solvi. Nam
 Bibliis atque Actis Sanctorum accurate per-
 lectis²³ Sanctum Jacobum semper et ubique
 cum culleo²⁴ in umeris posito peregrinatum esse
 animadverti. Igitur pinxi hunc culleum, in quo
 insignia quoque deposui.

— Recte, optime, exclamat laetus pater P.,
 ita enim iam contentus sum.

... Sic pictura correctata atque culleo aucta
 ornamento parietis olim nudi est. Pater P.
 autem contentus spectat tabulam et oblectatur
 insignibus suis, quae ita pulchra sunt — in
 imo culleo.

V. Kósa Keszthelyensis.

¹² imakönyv = Gebetbuch ¹³ magában véve = an
 und für sich ¹⁴ nem elég = nicht genügend ¹⁵ áhita-
 tosan = andächtig ¹⁶ csupaszág = Leere ¹⁷ hite-
 les = beglaubigt ¹⁸ vázlatot készít = eine Skizze machen
¹⁹ kíváncsi = neugierig ²⁰ aggódva = ängstlich ²¹ el-
 csúfít = verunstalten ²² megegyezik = übereinkommen
²³ végigolvas = durchlesen ²⁴ bőrzsák = Ledersack

Salse dictum.

Duo viri docti conversantes ambulabant in
 horto. Unus eorum dominus erat horti villae-
 que, alter hospes eius amicusque. Primus histo-
 riae naturalis peritus, alter logicae, psycho-
 logiae praesertim, doctissimus.

Ibi cursitabat autem in horto etiam canis
 domesticus, qui non solum custos villae, sed
 etiam collusor,¹ nonnunquam scurra² quoque
 puerorum erat. Hic canis a cursitando inter-
 dum extemplo consistebat et vesanum³ ad
 modum rotabatur,⁴ velut si caudam sibi ore
 capere vellet. Sed quantumvis se per circum
 agitaret, tamen nunquam eam attingere potuit.

Iste, rerum naturalium expertus, bene no-
 verat causam «*circi*» nonnisi punctiones pulicis⁵
 esse. Ille vero psychologus aliquam vesaniam
 rabiemve⁶ suspicans, attonite⁷ «*Quid hoc?*» —
 interrogat.

«*Circulus vitiosus!*» — ait iste.

(j. i.)

¹ játszótárs = Mitspieler ² bohóc = Hofnarr ³ őrült =
 wahnsinnig ⁴ forog = sich drehen ⁵ bolha = Floh ⁶ veszett-
 ség = Tollheit ⁷ megdöbbenve = erschrocken



Novi provinciales¹ studiorum¹ rec-
tores¹ superiores.¹ I.

Dr. Ludovicus e fortissimis² Bessenyei.

Virum dignum et de scholis, haud secus de linguis antiquis bene meritum fiducia Gubernatoris ad dignitatem magni momenti³ vocavit. Ludovicus Bessenyei Magno-Varadini a. 1879. natus studiis gymnasialibus in collegio antiquo Debrecinensi, academicis in universitate Budapestinensi praeclare peractis magisterium in oppidis Zilah et Hajduböszörmény iniiit atque continuabat, denique a. 1912. professor gymnasii Debrecinensis factus est, ubi a. 1929. director electus, a. autem 1934. rector superior honoris causā factus est.

Officiū⁵ erga patriam bello mundiali⁴ optime praestitit,⁵ nam a. 1914—5. in Serbiā praefectus centuriae⁶ pugnans graviter vulneratus ferē annum in valetudinario cubare coactus est, quam ob rem ordini fortissimorum ascitus est. A. 1931. filius eius egregius et spei plenus praefectus militum aeronautarum⁷

in officio exsequendo⁸ praecipitans⁹ obiit. Huius solatium doloris in labore petēbat. Eo tempore praeses Societatis¹⁰ Publicae¹⁰ Magistrorum Helveticae Confessionis factus etiam huic officio satisfecit studio maximo ac Societati illi agrum septuaginta iugerum catastralium et domicilium¹¹ sodalibus¹¹ recreandis¹¹ in oppidulo Balatonboglár ad lacum Pelsonem paravit. Etiam libros de discrimine animi populi Hungarici et de discipulis nimio¹² studiorum pondere¹² oneratis¹² scripsit. Magister severus, sed discipulos diligens, amicus fidelis est. Per multos annos sodales Instituti¹³ Professoribus¹³

Erudiendis¹³ Helveticae Confessionis Debrecinensis docēbat et cum iis itinera studio dedicata in Graeciā et Italiā fecit. Amicus diligens humanitatis antiquae est et in societate, quae dicitur Parthenon, inter primos pro linguā Graecā et Latinā in scholis colendā dimicabat.


Quam ob rem Ludovicus e fortissimis Bessenyei nunc, cum post annos nonnullos patriae et instructioni publicae dedicatos rector superior provinciae Debrecinensis factus munus¹⁴ dignum amplissimumque sit consecutus, ab amicis studiorum humanorum gratulationibus sinceris bonae spei plenis con-salutatur.

D. Kövendi.



¹ tankerületi főigazgató = Schulkreisoberstudiendirektor ² vitéz = Held (als Titel) ³ nagyfentosságú = von grosser Wichtigkeit ⁴ világháború = Weltkrieg ⁵ kötelességét teljesíti = die Pflicht erfüllen ⁶ századparancsnok = als Kompanie-Kommandant ⁷ repülő-tiszt = Fliegeroffizier ⁸ kötelességteljesítés = die Pflicht erfüllen ⁹ lezuhan = herunterstürzen ¹⁰ országos egyesület = Landesverein ¹¹ üdülőtelep = Erholungsheim

¹² túlterheléséről = Überbürdung ¹³ tanárképzőintézet = Institut für Mittelschullehrerbildung ¹⁴ munkakör = Wirkungskreis



Sententiae.

— Vigilandum est semper, multae insidiae sunt bonis. (Cic. pro Plancio 24; 59.)

— Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ipse mutus ille, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? (Cic. pro Plancio 33, 84.)

Bruno Balassa S. O. Cist.¹

Vix cum sit quadragenarius² haud parvo munere necnon minore dignitate est ornatus.³ Iniuncta est ei ut regio directori provinciali cura moderandi et regendi cuiuscunque generis scholas districtus Albaregalensis.⁴ Raro tam grande onus tam iuvenili humero imponitur. Rationem rei quaeris? Invenies eam in vita supra nominati directoris sudore et labore plenā.

Adhuc iuvenis imbuit habitum⁵ album noviciatus Ordinis Cisterciensis et peractis Agriae⁶ studiis medioscholaribus, aggreditur studia sacrae theologiae in universitate Oenipontana⁷

per orbem terrarum laudatā. Post arduos sex annos redit laureā doctoratūs decoratus. Dein Agriae nunc iam professor, religionis Christianae semina spargit et fidei fundamenta roborat in animis discipulorum et indefessus evadit amicus iuventutis. Fundator et moderator cohortis exploratorum, praeses congregationis Marianae, concionator⁸ et confesarius⁹ multum laborat in educanda iuventute. Suā mente et manu inscenavit¹⁰ opus de Sancto Emerico summo applausu receptum.

At quid nunc! Professorem vides iterum discipulum, auditorem humilem ad pedes professorum universitatis Budapestinensis. Historiam et linguam Latinam colit. Sed mox acquirit diploma professoris, lauream doctoratūs, sed et lectoris¹¹ dignitatem in eadem universitate. Interim autem obiit adhuc munus praefecti, curatoris et professoris theologiae in «Bernardino», instituto theologico-paedagogico Ordinis Cisterciensis. Hoc institutum



ex toto reorganisavit eidemque director prae-fuit. Composuit opera apparatu et methodo modernā exarata¹² de historia docendi linguam Latinam et ipsam historiam in Hungaria multasque dissertationes variis ephemeridibus insertas et in societate Paedagogica, S. Thomae Aquinatis, in Academia S. Stephani etc. habitas.

En habes nunc laborem permagnum novā dignitate necnon magno iterum officio, sed et honorifico coronatum. Ad multos annos!

—ch.

¹ Sacri Ordinis Cisterciensis monachus (szerzetes = Mönch) ² = quadraginta annos natus ³ kitüntet = auszeichnen ⁴ Székesfehérvár = Stuhlweissenburg ⁵ reverenda = Talar ⁶ Eger = Erlau ⁷ Innsbruck ⁸ templomi szónok = Prediger ⁹ gyóntató = Beichtvater ¹⁰ színrehozott = aufgeführt ¹¹ egyetemi előadó = Universitätsdozent ¹² megírt = geschrieben

Caligula.

Scripsit Des. Kosztolányi, conv. Aem. Láng.

Simulacrum Iovis, cum ab opificibus¹ dissolveretur, repente cachinum² edidit. Quod omen coniuratoribus laetum fuit. Sed Caesarem oraculum consulentem Fortunae³ Antiatinae³ monuerunt, ut a Cassio caveret.

Coniuratores consilium habebant. Cassius Chaerea, caput conspiratorum, pallidus in circulo amicorum stabat. Omnes in eo stupebant⁴ et animo cernebant oculos Caesaris quoque invisibiles defixos esse in centurionem, cuius animus et mens iam vi suspicionis ureretur.

¹ kézműves = Handwerker ² kacagás = Gelächter ³ antium jósszék = Orakel von Antium ⁴ rámered = anstaunen

Interim fama percrebruit⁵ Cassium Longinum, Asiae tum proconsulem a Caesare occidendum delegatum esse.

Mente⁶ captus est,⁶ agitabat⁷ secum⁷ Cassius, an irridet nos omnes? Mei immemor esse videtur.

Non est Cassii oblitus. Postridie mane horā primā ad⁸ imperandum⁸ vocatus est. Cassius, priusquam in palatium se contulerat, uxorem prolesque valēre⁹ iussit,⁹ utpote cui gladio vel sicā vel veneno moriendum esset.

Caligulam iam diluculo¹⁰ somnus reliquit. Saepe enim insomniā incitabatur, neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat ac ne iis quidem placidā quiete, sed pavidā miris rerum¹¹ imaginibus.¹¹ Et nunc servis summotis per vacua atria facibus et lampadibus illustrata solus errabat. Vir tergo gibbosus¹² et gracillimis macerrimisque cruribus in longis porticibus instar somni¹³ tremendi vagus invocabat et exspectabat auroram.

In cubitum¹⁴ innixus per fenestram suspexit caelum lividum,¹⁵ ubi alias¹⁶ puris radiis argentea fulgebat amata eius, quam semper amplecti cupiebat, Luna, quam nunc nubes sordidae ad colorem glaucum¹⁷ inclinatae condiderunt et quacum ille saepe balbo¹⁸ ore sine voce fabulabatur. Interim sensim illucescit.

«Cassi — salutavit Caesar hospitem protendens nuda brachia hirsuta¹⁹ — veni Cassi, ad sinus meos, meum cor!» clamabat eumque amplexus est.

Cassius magnā gratiā Caesareā tremefactus est. Ad omnes casus se praeparabat. Audivit annis ante ab eo conspiratores advocatos esse, quibus dstricto gladio affirmaret se sponte periturum, si illis morte dignus videretur. Audivit illum coram tribus consularibus secundā vigiliā in Palatium accitis canticum²⁰ desaltavisse.²⁰ Audivit sutorem,²¹ qui eum fraudatorem appellasset, impune abiisse. Qua tamen re inopinatā oppressus²² est.²²

«Succurre²³ mihi, Cassi! — perrexit sermonem. — Soli tibi fidem habeo. Periculis circumfundor. Incipiunt ludi Palatini. Te facio, Cassi, tribunum cohortis²⁴ praetoriae.»²⁴

Paulisper oculis turbide²⁵ flagrantibus²⁵ in eum intuebatur, dein in cachinnum effusus est. Cassius incertus caput inclinabat. Caesar membr̄is subita defectione²⁶ solutis in sellam corruit,

quod tenuibus pedibus stare et semet²⁷ sufferre²⁷ non posset.

«Asside apud me, Cassi, hortatur eum. Quot annos natus es?»

— Duodesexaginta.

«Ego undetrigesimum ago — garrit²⁸ — aetas mihi adhuc viget.²⁹ At quantum passus sum, Cassi! Vae, quam multa! Puerum Tiberius, tigris ille rabidus³⁰ caedisque avidus custodiebat. Exstirpavit³¹ totam meam familiam. Matrem relegatam coëgit, ut voluntariam mortem sibi conscisceret. Frater meus Brutus ab eo in vincula coniectus fame³² interiit.³² Et ego assidue in periculo mortis versabar. Delatoribus circumdatus omnibus insidiis temptatus sum, ut querelas elicerent.³³ Cum somno captus iacebam, insidiatores in me inclinati exspectabant, quid forte loquerer. Quocumque tempore in poculo vel in cibo venenum mihi dari potuit. Sed ego silebam et vigilans et in somno. Frons, oculi vultusque semper mentiebantur. Personam³⁴ indui. Assidue simulabam ac dissimulabam et quidem prudentius quam Tiberius, malevolentissimus ille senex taciturnus. Vici. Me integrum servavi. Ex quo tempore omnia mihi et in omnes licebat. Vitā frui conabar, quod autem mihi non successit.³⁵ Personam detrahare volui, neque hoc prospere evenit. Drusilla, soror minor aestu³⁶ febrique³⁶ defuncta est. Solus eram. Luctu afflictus barbam promisi.³⁷ Dein multas terras perlustravi. Initio dulce ridebam, quod quemcunque necare potui, quem volui. Sic mactavi aliquando succinctus³⁶ popārum³⁷ habitu pro³⁸ victima

⁵ elterjed = sich allgemein verbreiten ⁶ eszét veszti = den Verstand verlieren ⁷ tünődik = grübeln
⁸ parancs átvételére = zum Kommando ⁹ elbúcsúzik = sich verabschieden ¹⁰ szürkületkor = Morgendämmerung
¹¹ képzet = Scheinbild, Erscheinung ¹² púpos = buckelig
¹³ álomkép = Traumbild ¹⁴ könyök = Ellenbogen
¹⁵ ólomszürke = bleifarbig ¹⁶ máskor = sonst ¹⁷ kékes-szürke = bläulichgrau ¹⁸ hebegő = stammelnd ¹⁹ szőrös = struppig ²⁰ táncdarabot előadni = ein Gesangstück tanzend aufführen ²¹ varga = Schuster ²² kihozta a sodrából = ausser Fassung bringen ²³ segít = helfen
²⁴ testőrség = Leibgarde ²⁵ nyugtalanul lobogó = unruhig glühend ²⁶ gyengeség = Schwäche ²⁷ magát fenntartja = sich aufrecht erhalten ²⁸ fecseg = schwatzen ²⁹ életerős = lebenskräftig ³⁰ bős = rasend ³¹ kiírt = ausrotten
³² éhhalállal mult ki = starb vor Hunger ³³ kicsal vlkiből = herauslocken ³⁴ álarc = Maske ³⁵ sikerül = gelingen
³⁶ forróláz = hitziges Fieber ³⁷ megnöveszt = wachsen lassen ³⁸ felgyürkőzve = aufgeschürzt ³⁷ bonc, templomszolga = Opferdiener ³⁸ helyett = anstatt

altaribus admota — cultrarium.³⁹ Me omnia facere posse iuvat. Novum balnearum usum, portentosissima⁴⁰ genera ciborum atque cenarum commentus⁴¹ sum, calidis frigidisque unguentis⁴² lavabar, pretiosissimas margaritas⁴³ aceto⁴⁴ liquefactas⁴⁶ sorbui,⁴⁷ convivis ex auro panes et obsonia⁴⁸ apponi iussi. Praesertim aurum adorabam. Non eram contentus possessione eius, sed cupidine contrectandae⁴⁹ pecuniae⁴⁹ incensus saepe super immensos aureorum⁵⁰ acervos patentissimo loco diffusos nudo corpore aliquamdiu volutabar.⁵¹ Vultum ad speculum in omnem terrorem⁵² ac formidinem⁵² componebam,⁵² ut a memet ipso abhorrerem. Aliquot ioca quoque ingeniosa egi. Et pulchre comptos⁵³ iuvenes, quotiens mihi occurrerent, occipitio⁵⁴ raso⁵⁵ deturpavi.⁵⁶ Senatores quosdam ad essedum⁵⁷ currere togatos per aliquot passuum milia iussi. Linguam equitis Romani, cum se usque⁵⁸ innocentem esse clamaret, abscidi iussi, ne insulsa⁵⁹ garriret. Multos homines in caveam⁶⁰ inclusos medios serra⁶¹ dissecui.⁶¹ Alios ad mare excursionem facientes in undas praecipitavi atque maximam percepi voluptatem ex lucta mortifera palpitantium,⁶² qui fluctibus obruti sensim summergebantur. Horreis⁶³ plenis praeclusis populo famem⁶⁴ indixi.⁶⁴ Cogitavi de Homeri carminibus abolendis⁶⁵ et scriptis Vergili ac T. Livi ex omnibus bibliothecis amovendis. Edixi ut in campo Martio simulacra numinum amicirentur quotidie veste, quali ego ipse uter et capitibus eorum demptis meum imponeretur. Equo meo, cui consulatum destinavi, praeter equile⁶⁶ marmoreum et praesepe⁶⁷ eburneum domum et familiam⁶⁸ et supellectilem dedi, quo lautius⁶⁹ nomine eius invitati acciperentur, quin⁷⁰ et ipse cum eo cenavi. Fuit quoddam tempus, cum multis placui. Milites me sidus et pupum⁷¹ et pullum⁷² appellabant. Romae cum ius arbitriumque⁷³ omnium rerum mihi permissum est, tanta erat laetitia, ut tribus proximis mentibus 160 milia victimarum caesa fuerint. Nunc iam omnium rerum taedium cepi. Somnum capere nunquam possum. Hic habitare malum videtur et radio⁷⁴ aureo frontem pulsabat. Redde mihi somnum, para, quaeso, somniferum venerum.⁷⁵

Cassius miseratione paene commotus loquentem audivit. Sed Caligula repente e sella sur-rexit et dexteram ei dedit. Dum Cassius manum

osculat, labiis⁷⁶ sensit unguem pollicis⁷⁷, quem ritu irridentis inter⁷⁷ digitos⁷⁷ inseruit⁷⁷. Rubor ora Cassii subitus notavit.

— «Quid tibi vis, simie!⁷⁸ Parce irae! Cave tibi!» Et dimisit eum.

Reliqua deinceps prosequemur.

³⁹ áldozatvágó = Opferstecher ⁴⁰ szertelen = wunderbar ⁴¹ kigondol = aussinnen ⁴² illatszér = Salböl ⁴³ gyöngy = Perle ⁴⁴ ecet = Essig ⁴⁶ felold = auflösen ⁴⁷ felhőrpint = schlürfen ⁴⁸ (főtt) ételek = Zukost ⁴⁹ pénzben való dúslakodás = im Gelde schwelgen ⁵⁰ aranypénz = Goldstück ⁵¹ hentereg = sich herumwälzen ⁵² ijesztő és rémitő arcfintorokat vág = schreckliche und grauenhafte Grimassen machen ⁵³ fésült = frisirt ⁵⁴ tarkó = Hinterkopf ⁵⁵ leborotvál = rasieren ⁵⁶ elcsúfit = verunstalten ⁵⁷ úti kocsi = Reisewagen ⁵⁸ folyton = fortwährend ⁵⁹ ostobaság = Albernheit ⁶⁰ ketrec = Käfig ⁶¹ derékban kettéfűrész = zersägen ⁶² vergődik = mit dem Tode ringen ⁶³ magtár = Speicher ⁶⁴ éhezlet = hungern lassen ⁶⁵ megsemmisít = vernichten ⁶⁶ lóistálló = Pferdestall ⁶⁷ jászol = Krippe ⁶⁸ cselédség = Dienerschaft ⁶⁹ fényesebben = vornehm ⁷⁰ sőt = sogar ⁷¹ szemefénye = Herzchen ⁷² galambom = Püppchen ⁷³ hatalom = Macht ⁷⁴ pálcika = Stäbchen ⁷⁵ ital = Trank ⁷⁶ ajak = Lippe ⁷⁷ fület mutat = die Feige zeigen ⁷⁸ majom = Affe

Libri dono accepti.


Q. Horatii Flacci Carmina. Metris servatis Hungarice reddidit **Josephus Trencsényi.** Budapest, 1935. Editio auctoris. Ex officina Stephani Radó.

Franciscus Turányi-Turkovitsch: De S. Paulini Nolani Decimique Ausonii Magni pugna poetica. Dissertatio. Typographus Ionnes Dobay in oppido Gyula, 1917.

Archivum Philologicum. Budapest. 1935. Annus LIX. Fasc. 7—9. — Arp. Szabó: Horatius und die hellenistische Literaturwissenschaft. — Ios. Huszti: Lettere inedite di Giorgio Valagussa a Ianus Pannonius. — Victor Machovich: Contribution à l'histoire des rapports des Cisterciens de Hongrie avec les abbayes de Frances. — Librorum recensio: Lud. Nagy: Organum pneumaticum Aquinci. — Ios. Bakos: Martialis in litteratura Hungarica. — Geysa Vetéssy: Traditiones antiquae in carminibus epicis Michaelis Vörösmarty. — Adalb. Szász: Gracchi et quaestio agraria. — Etc.

Alma Roma. Romae, 1935. Ann. XXII. Fasc. VIII—IX. — De latini sermonis elegantia. — Sylv. Romani: De fontibus iuris Italici: Aetas media. — T. Bellatreccia: Visiones Romanae: Campanae. (Carmen.) — Xystinum in Vaticano sacellum. — Notitiae radiophonice vulgatae. — Colloquia latina: Somnus in gymnasio. — Annales. — Varia. — Librorum recensio. — Anthea (Narratio.)

Societas Latina. Monachii, 1935. Ann. III. Fasc. 3. — G. Lurz: Lateinische Zeitschriften (Auctor hac in tractatione fructuosa paginam paene totam ephemeridi nostrae impertit.) — M. Dingler: Hoefnagels Archetypa. — Iul. Goslar: Disticha Latina. — Herm. Weller: Epitaphium Pauli de Sokolokowski. — Librorum recensio. (O. Kluge: Die neulateinische Kunstprosa. — Ios. Wagner: Carmina Horatii selecta ad modos aptata.) — Iac. Henr. Hoefft: Carmina elegiaca.



Gymnasium Regium Catholicum Universita-
tis Budapestinensis 250 fere annis ante, Tur-
cis Budā expulsis conditum, cum anno 1777.
universitati Tyrnaviā¹ huc translatae adiuncta
esset, *archigymnasium*


universitatis appellatum
est. In hac schola pri-
mum patres Societatis
Iesu, post e Scholis Pii
docebant. Cum autem
a. 1849. milites nostri
pro libertate pugnant
a Russis victi sunt, mu-
nus docendi magistris
Bohemis aliisque exter-
nis mandatum est, ne
discipuli in amore pa-
triae et linguae Hunga-
ricae educarentur. Sed
mox Franciscus Iose-
phus I. rex coronatus
iura nationi reddere
coactus, quia muri scho-
lae in arce oppugnanda

a. 1849. graviter quassati² erant sumptibus
fere 1,000.000 florenorum³ novum, quod in
immagine nostra ostenditur, aedificium construi
iussit. In alumneo⁴ Francisco-Iosephino a.
1889. conditō filii magnatum et primorum
educantur. Gymnasium, quamquam hodie uni-
versitati iam non est adiunctum, titulum
traditione conservatum habet.

Bellum in Abyssinia geritur. Post bellum
gentium victores Galli et Angli colonias victis
ereptas inter se diviserunt, Italiae autem tan-
tum in Europa provincias dederunt, quam-
quam sciverunt multitudinem Italicorum celeriter
augeri et ideo diu coloniis carere⁵ non posse.
Quia victores satiati⁶ possessiones suas in
aeternum defensuri Societate Nationum con-
ditā fidem⁷ Italis obligatam⁷ non persolverunt,⁷
natio fascistarum a duce ingenioso, Mussolinio

reorganisata et quasi renata neglectis statutis
Societatis Nationum, fines invasit Abyssiniae,
populi fere barbari, qui quamquam sodalis⁸
est Societatis Nationum, tamen servitutum
vetitam adhuc colit et sustinet. Angli sanctio-
nibus⁹ Italos cogere volunt, ut Abyssiniam
relinquant. Nos quidem Hungari et Austriaci
sanctiones adiuvare non possumus.

Res novae ex Graecia nuntiantur. Exercitus
magnaeque pars populi regem Georgium iam
pridem revocare vult. Nunc legatus¹⁰ *Condylis*
remoto gubernio *Tsaldaris* rerum potitus est,



quo prius dynastia restaurari posset. Etiam
Zaimis praeses se magistratu abdicavit.

Paderewsky pianista ille clarissimus, qui
Poloniae redivivae¹¹ praeses praeerat primus,
75. annos natus non vult a cultoribus celebrari.
Modestiam et continentiam viri quis est, quin
admiretur?

Photographi Austriaci gaudent, quia iussu
gubernii, quicumque plusquam 18 annos natus
est, legitimationem photographiā ornatam se-
cum ferre debet. Ita brevi permulta centena
milia photographiarum parantur.

Bibliotheca Hungarica Vindobonāe in sec-

¹ Nagyszombat = Tirnau ² megrongálódik = er-
schüttern ³ forint = Gulden ⁴ nevelőintézet = Erziehungs-
anstalt ⁵ nélkülöz = entbehren ⁶ jóllakott = gesättigt
⁷ ígétét teljesíti = das Versprechen erfüllen ⁸ tag =
Mitglied ⁹ megtorlás = Strafartikel ¹⁰ tábornok =
General ¹¹ újjáéledt = auferstanden!



Montes Abyssinae.

tione plateae¹² Stumper instituta est, ut magna vis Hungarorum Vindobonensium etiam libros Hungaricos legere possent.

Biographiam ducis Pilsudski — ut in actis¹³ diurnis¹³ «Gazetta Polsea» legimus — suadente¹⁴ *Emanuele Korompay* lectore linguae Hungaricae singuli lectores universitatis Varsoviensis quisquis suā linguā conscribent.

Hebdomas¹⁵ lactis¹⁵ in Belgica haberi iussa est, quia consumptio quotidiana pro capite non superat 200 grammata, cum aliis in regnis 800—900 gr. consumuntur, et ex litris trium milliardarum lactis annue productis¹⁶ tantum 626 milliones litrarum potantur aut eduntur. (caseus,¹⁷ butyrum¹⁸ etc.) Lac propagandi causa Bruxellis etiam magna processio scenis cum ridiculis instituta est.

Currus¹⁹ luxorius¹⁹ regis Rumeniae in statione Constanzae a latronibus ignotis exspoliatus est. Res pretiosae, imagines, quin etiam lintea,²⁰ libri et manuscripta in armariis abdita ex curru custodibus publicis mandato subrepta sunt.

Locustae²¹ in Hispania agros Andalusiae devastaverunt. Rustici singulis diebus 12 milia chiliogrammatum locustarum interfecerunt. Catervae ciconiarum quoque succurrerunt hominibus hanc cuppediam²² amantes. Magistratus autem Matrito 45 milia litrarum benzinae ad locustas delendas miserunt.

Paulus Dukas auctor musicus originis Graecae, professor conservatorii Lutetiae Parisiorum 70 annos natus mortem obiit. Opus maxime laudabatur, quod ad carmen poetae Goethe «Tiro²³ magicus»²³ composuit.

Iustinianus Serédi Cardinalis princeps archiepiscopus noster iussu Pontificis Summi in Anglia basilicam abbatiae²⁴ oppidi Downside consecravit. Cardinalis salutantibus oratione Latinā de munere institutorio ordinis S. Benedicti habitā respondit.

¹² utca = Gasse ¹³ ujság = Zeitung
¹⁴ ndítványára = auf Antrag ¹⁵ tej-
 hét = Milchwoche ¹⁶ termel = erzeugen ¹⁷ sajt = Käse
¹⁸ vaj = Butter ¹⁹ szalonkocsi = Salonwagen ²⁰ fehé-
 nemű = Wäsche ²¹ sáska = Heuschrecke ²² csemege =
 Leckerbissen ²³ bűvésznas = Zauberlehrling ²⁴ apátság =
 Abtei

Casus admirabilis.

Vix decem annos natus iam capras pascebam domini mei. Inter montes, circum pascua,¹ silvae densae extendebantur.² Cum timore errabam ibi et cognita habebam loca, ubi ruberrima corna³ et nigerrimi mori⁴ inveniri poterant.

Aliquo die Maii accidit, ut fistulā⁵ de ramo salicis⁶ factā cantui nimis⁷ intentus⁷ oblitus sim gregis. Et cum advesperasset, caprae nullo modo reperiri poterant. Intendebam⁸ aures, si forte audirem vocem earum, sed nihil audiebatur. Altissimas ascendebam arbores, si forte aspicerem errantes. Nihil usquam aspectabatur. Infelix cursitabam⁹ huc et illuc et cum vesper magis magisque addensaret umbras et infinitum silentium occuparet omnia, fessus¹⁰ sub rupe¹¹ quadam residere¹² coactus inter lacrimas obdormivi.¹³

¹ legelő = Weide ² terül el = sich ausbreiten ³ som =
 Kornelkirsche ⁴ szederfa = Maulbeerbaum ⁵ pázsorsíp =
 Hirtenpfeife ⁶ fűzfa = Weidenbaum ⁷ túlságosan el-
 merülve = eifrig beschäftigt ⁸ megerőltet = spitzen
⁹ futkos = hin und her laufen ¹⁰ kifáradva = erschöpft
¹¹ szikla = Fels ¹² leül = sich niederlassen ¹³ elalszik =
 einschlafen

Interea tollebat¹⁴ luna, plena et splendida. Cuius lumine expectatus¹⁵ ut melius viderem, perfricui¹⁶ oculos. Res scilicet admirabilis offerebatur¹⁷ mihi. Lux lunae extendebatur per clivum herbosum, simillima linteo¹⁸ vero. Et cum manu tetigissem, linteumne sit, an non, reperi vere linteum esse. Molle et subtilissimum.¹⁹ Quid faciam? Corripui et inepi convolvere.²⁰ Cum autem viginti aut viginti duo cubitorum²¹ convolutum esset, clare et imperative audiebatur ex propinquo: «Nihilo plus!» Conterritus haesi,²² unde veniret ista acclamatio. «Nihilo plus!» iterabatur,²³ sed quasi e longinquo et quasi coelum ipsum conpleret, undique audiebatur: «Nihilo plus, nihilo plus!» . . . Etsi territus, subito interscidi²⁴ linteum et per calles²⁵ errantes, qui prolucebant²⁶ inter herbas, cucurri amens, ut quam primum domi essem. Dominus cum gaudio me excepit anxius,²⁷ cur caprae sine me domum redissent.

Cras sorores felicissimae acceperunt linteum et audito casu: O te fortunae filium — inquiunt — cui deae silvarum de radiis lunae donaverunt linteum! Et sine mora assidebant labori, ut indumenta²⁸ pulcherrima sibi facerent. Et ecce quaedam anus rugosa adstitit et:

— Quid facitis — inquit — pulcherrimae? Unde comparastis²⁹ istud subtilissimum linteum?

— Non comparavimus, responderunt, dono dedit nobis quaedam diva³⁰ istud.

— Divis nihili constat. Etiam plus linteum dare potuit, vos enim, ut video, tres estis pulcherrimae. Non erat plus linteum ibi?

— Immo, erat, ridebant puellae.

— Date ergo operam,³¹ ut multum linteum portetis domum, ut divites fieri possitis. Ut sponsus³² egregius pulset³³ ianuam vestram. Valetate pulcherrimae meae, valetate!

Et abiit paulatim claudicando.³⁴

Sorores commotae verbis iam a regulis se in matrimonium³⁵ duci³⁵ sperabant. Et tempore plenilunii³⁶ duce me ad eum locum properaverunt, ubi ego linteum acceperam. Caelum compluribus locis obductum erat³⁷ nubibus.

— Si non diffugient nubes, sine linteum domum redibimus — susurrabant³⁸ inter se sorores.

Ecce autem luna e nubibus progressa est³⁹ et clavus⁴⁰ candidus⁴¹ extendebatur per clivum herbosum. Linteum argenteum ante oculos candeat nostros. Sorores avidissime⁴² incepere convolvere linteum, sed cum 20—22 cubitorum convolvissent: «Nihilo plus!» audiebatur. Illae autem non intermiserunt⁴³ convolvere et tunc nubes atra anteit lunae et linteum candidum evanuit⁴⁴ in auras. Nobis autem sine linteum redeundum erat . . .

Iam diu in lectulo quiescebam, quando lumine lunae e somno excitatus⁴⁵ agitabam⁴⁶ mecum,⁴⁶ vera esset ista historia, an non. Omni modo autem aequum⁴⁷ videbatur non esse sapientis permultum desiderare. Et decrevi me cras sorores visere.⁴⁸

Fabulam italianam (A. Rubino) libere reddidit:

I. Guelmino.

¹⁴ felkelni = aufgehen ¹⁵ felébredve = erwachen
¹⁶ megdörzsöl = tüchtig reiben ¹⁷ elé tárul = erscheinen
¹⁸ vászon = Leinwand ¹⁹ finom = fein
²⁰ felgöngyöl = zusammenrollen ²¹ róf = Elle ²² veszteg áll = stützen ²³ megismétlődik = sich wiederholen
²⁴ lemetsz = zerreißen ²⁵ ösvény = Pfad ²⁶ előtűnik = vorleuchten
²⁷ aggódva = angstvoll ²⁸ öltözék = Kleidungsstücke
²⁹ vásárol = kaufen ³⁰ tündér = Fee
³¹ rajta lenni = sich bemühen ³² vőlegény = Bräutigam
³³ kopog = klopfen ³⁴ sántít = hinken ³⁵ feleségül vesz = heiraten
³⁶ holdtölte = Vollmond ³⁷ beborít = bedecken
³⁸ susog = flüstern ³⁹ előjön = hervortreten ⁴⁰ sáv = Streif
⁴¹ fehér = glänzend weiss ⁴² mohón = gierig
⁴³ abbahagyni = unterlassen ⁴⁴ eltűnik = verschwinden
⁴⁵ felriaszt = aufwecken ⁴⁶ tűnődik magában = nachgrübeln
⁴⁷ igazságos = gerecht ⁴⁸ meglátogat = besuchen



Princeps¹ Valliensis¹ iterum aliquot dies in Hungaria commorans hospes Nicolai Horthy gubernatoris etiam perdices² venando se oblectavit in regione venatibus apta oppidi Goedoelloe.

Iulius Goemboes praeses gubernii nostri in Borussia orientali hospes collegae Goering in venatione hircum magnum spoliavit, deinde Berolini monumento militis ignoti floribus coronato etiam ducem Adolphum Hitler Germanorum convenit, et salutavit.

¹ welszi herceg = Prinz v. Wales ² fogoly = Rebhuhn

Maleolmus e nobilibus³ Campbell, ut Neo-Eboraco⁴ nuntiatur, in solitudine⁵ salsa⁵ ad Salt Lake City automobili suo «Avis caerulea» nominato novum primatum⁶ celeritatis horae 482.5 chiliometrorum assecutus est.

Certamen follis pede pulsandi de cupa Europaea inter catervas Hungarorum et Austriaeorum in controversia⁷ relictum⁷ est, nam utrique quater follem in portam adversariorum pulsaverunt. Ratio angulorum⁸ 7:14 erat. Spectatorum numerus 40 milia superavit.

³ Anglice: Sir ⁴ New-York ⁵ sósvatag = Salzwüste
⁶ rekord ⁷ eldöntetlen maradt = blieb unentschieden
⁸ korner

Sub exitu Septembris.

Hungarice scripsit *Alexander Petöfi*,
Latine reddidit *Iosephus Irsik*.

*In valle vigent hic florigenales,¹
Adhuc¹ viret arbor hic ante domum:
Sed aspice ibi ecce vices² hiemales,²
Iam nix tegit albida montiugum!
Aestivus adhuc mihi sol calet³ intus,
In pectore floret adhuc mihi ver:
Sed crinis opacus, en, ut nive⁴ mixtus⁴
Fit iamque pruinafer,⁵ hiemifer!*

*Flos decidit, alipes aufugit aetas...
Hic consede, coniuga, mi in gremio!
Inclina caput sinui hic hodie: cras
Num procides⁶ in tumultone meo?...
Dic: si prior emoriturus ego sim,
Velo lacrimansne teges mi oculos?
Coetve⁷ te amor iuvenis cuius olim,
Sit nominis ut removendus honos?...*

*S⁸*ricam⁸ viduaem abieceris unquam,
Busti⁹ in cruce eam vexillum¹⁰ habeam!
Ob illam ego sub medinocte resurgam,
Illam vel in infera subripiam:
Ut sit lacrimis sudarium¹¹ obortis
Pro te leviter renuente¹² tuo,¹³
Sit vulneribus medicina mi¹⁴ cordis
Aeterne te amantis et in tumulo!*

¹ virágoskert = Blumengarten ² téli világ = Winterwelt ³ hevül, ég = glüht ⁴ őszbe vegyült = ins Grau spielend ⁵ dérhozó, fehérédő = Reif bringend, weiss ⁶ leborulni = darauf hinstürzen ⁷ rábír = dazu bewegen, * si ⁸ fátyol = Schleier ⁹ sír = Grab ¹⁰ törülőkendő = Abwischttuch ¹¹ zsebkendő = Taschentuch ¹² elfeled = vergessen ¹³ marito ¹⁴ mihi



Iocosa.

Bonus patruus filios fratris adit et de studiis seiscitatur: «Quomodo in schola discitis?» — «Primus in gymniciis sum», respondet statim Fridericus. — «Optime est, puer!» laudat patruus. — «Ego in mathematica sum primus», superbit Antonius. — «Optime est, puer!» respondet ille. — «In lingua Gallica nemo me melior est», laetatur Ervinus. — Bonus patruus eum quoque collaudat. Solus Conradus parvus tacet. — «Et tu, Conrade, nonne tu quoque primatum¹ alicuius studii obtinuisti?» — «Revera — adnuat Conradus — ego quidem primus foras exsilio, simulatque² tinnitur.»

Mich. Kramer
disp, gym. inst. pr. er. adi.

Magister litteraturae Hungaricae stilum trilogiae Ioannis Arany, quae inscribitur «Nicolaus Toldi», explicat. Extremā horā quendam discipulorum interrogat: «Qualis est igitur, Carole, lingua Nicolai Toldi?» — «Lingua Nicolai Toldi est... est... longa et rubra», respondet nebulo³ negligentiā proditā.

Georgius Weisz
disc. VII. cl. gymn. Bpest.

Puer mane interrogat: «Quota hora est?» — Artifex⁴ horologiorum: «Octava». — Puer meridie iterum interrogat: «Quota hora est?» — Artifex hor.: «Cur interrogas, mi fili, cum mane iam dixi?»

*

Filius: «O mi pater, eme mihi tympanum!»⁵ — Pater: «Cur? Ut mihi semper tympanises?» — F.: «Noli timere, pater. Nunquam tympanisabo, nisi cum dormitabis».

Eug. Keller
disc. VIII. cl. gymn. r. Em.
Wagner, Rákospalota.

1. Tu prohibuisti, quominus aquis⁶ haustus⁶ vitam amitterem, istam ergo tuam operam remuneraturus velim tibi decem denarios dare, sed nisi chartam⁷ argentariam 20 P non habeo.

¹ elsőség = Vorrang ² mihelyt = sobald ³ semmirekellő = Taugenichts ⁴ órás = Uhrmacher ⁵ dob = Trommel ⁶ vízbefúlva = ertrinken ⁷ bankjegy = Banknote

— Scisne quid? Praecipita te, sodes,⁸ denuo in aquas.

2. Custos hortorum bicyclistam sic increpat:⁹ «Videsne tu, inquit in tabula¹⁰ interdicatoria¹⁰ vetitum esse, bicyclo in hortos inveni. Nescisne tu litteras legere?»

— Legere quidem scio, sed descendere nescio.

3. Institor¹¹ formidinum avium:¹² «Habesne, domine, in horto formidinem avium?»

— Non est nobis opus, formidine avium; ego et filia mea usque domi sumus.

4. Grassator¹³ capite¹⁴ nudato:¹⁴ «Salve, domine, maximas gratias ago tibi».

— Cur mihi gratias agis? Nihil enim tibi unquam stipis¹⁵ impertivi.¹⁶

— At spero, me non patieris gratis¹⁷ tibi gratias egisse!

C. Acs.

⁸ kérlek = bitte ⁹ ráförméd = ausschelten ¹⁰ tilalomfa = Warnungstafel ¹¹ házáló = Hausierer ¹² madárijesztő = Vogelscheuche ¹³ csavargó = Landstreicher ¹⁴ kalapot emelve = den Hut abziehen ¹⁵ adomány = Almose ¹⁶ juttat = geben ¹⁷ ingyen = umsonst

Hypatia. (9.)

Scripsit *Carolus Kingsley*, Hungarice reddidit *Arpadus Zsigány*. Excerpsit atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

Eodem die ante meridiem, cum Hypatia a discipulis cultoribusque⁴⁴ suis stipata⁴⁵ ex domo transiret in scholam, in porta Musei sustinuit eam vir pannis indutus, alteram manum stipis⁴⁶ petendae causa porrigens, altera mellum⁴⁷ ingentis canis tenens.

— Quid vis? — quaerit Hypatia. — In siste tuum iter,⁴⁸ bone vir, ne me sollicites.

At cum vir petasum dempsisset, Hypatia cognovit Raphaellem: «Quorsum⁴⁹ hic iocus illepidus?»⁵⁰

— Iocumne dicis? Interroga Cyrillum, iocumne sit. Ceterum non diu te morabor, pulchra Sibylla. Ibo in Italiam et hominem quaeram, ut olim Diogenes. Dii te custodiant, mea magistra. Quamquam exinde Cynicus ero neque quemquam aut quidquam habebō praeter canem, tamen ob praeteritas memorias valere te iubeo.

— Ne discedas, amabo.⁵¹ — Ait Hypatia. — Tu es optimus et sapientissimus ac fortasse unicus meus discipulus. Pater meus te libenter accipiet in bibliothecam ibique munus tibi

dabit, ne cuiusquam indigeas. Ac nos quoque tui debitores sumus: nondum rependimus pecuniam, quam nobis mutuam dedisti...

— Immo vero, pulchra Musa, ego sum debitor vester. Scientia non gratis⁵² penditur atque ego mercedem attuli: en hic pulcher anulus opalus...

— Mihi non licet hunc accipere — ait Hypatia.

Tum Raphaelle anulo sublato se ad patricos convertit: «Quis vestrum vult omne suum aes alienum⁵³ simul solvere? Aspicite arcum caelestem⁵⁴ regis Salamonis: id est nomen huic opalo».

Sed tum ex improvise adfuit Maria et anulum manui Raphaelis eripuit.

— Tune es, anus? — ait Raphael laetus. — Nil refert;⁵⁵ sit ergo tuus anulus, quem a te accepi. Dii te protegant, pulcherrima Hypatia, regina sapientiae. Si, quem quaero, hominem repperero, certe eum ad te adducam. Eamus ergo, mater, si iam ades.

⁴⁴ tisztelő = Verehrer ⁴⁵ kísérve = in Begleitung ⁴⁶ alamizsna = Almose ⁴⁷ szúrós nyakörv = stachliges Halsband ⁴⁸ menj útdra = geh deines Weges ⁴⁹ mirevaló = wozu ⁵⁰ illetlen = geistlos ⁵¹ kérlek = ich bitte sehr ⁵² ingyen = umsonst ⁵³ adósság = Schulden ⁵⁴ szivárvány = Regenbogen ⁵⁵ mindegy = es liegt mir nichts daran

V. Philammo dubitari incipit.

Eo die sub meridiem senex quidam sacerdos venit ex urbe et Petrum supplex oravit, ut adderet sibi aliquem, cuius ope virum graviter aegrotantem¹ in nosocomium² ferre posset.

— Nemo tandem est in tua regione — inquit Petrus indignans³ — qui adiuvare possit?

— Omnes hodie mane abierunt contra Iudaeos; et nunc aut ebrii⁴ sunt, aut domum non redierunt.

— Nos quoque plurima habemus negotia — iurgat⁵ Petrus morosus — atque etiam alieno malo nos vexatis. Heus, Philammo! — in clamat monachum adolescentem; — veni huc! Ante meridiem deses⁶ tempus trivisti: nunc tempus est, ut aliquid labores. Abibis cum

¹ beteg = krank ² kórház = Krankenhaus ³ bosszús = unwillig ⁴ részeg = betrunken ⁵ zsörtölődik = zanken ⁶ tétlenül = untätig

Hieraca sacerdote et si quid tibi commiserit,⁷ perfeceris, statim domum properabis.


Philammo tacitus oboedivit cumque ad suburbium⁸ iret cum sacerdote, timidus eum interrogavit, quis esset ille Raphael, qui eo die mane una cum reliquis Iudaeis urbe expulsus esset.

— Amicus Hypatiae — respondet sacerdos.

— Iterum Hypatiam! Philammo cupiditate vexatus iam proterve⁹ sciscitatus est¹⁰ de illa virgine, quam tantopere oderant domestici¹¹ patriarchae, ut vel commemorato eius nomine omnes ira exardescerent.

Ad numerum proximum.

⁷ rábíz = beauftragen ⁸ külváros = Vorstadt ⁹ tartózkodás nélkül = ohne sich zu schämen ¹⁰ tudakozódik = sich erkundigen ¹¹ háznépe = Hausgenossen



Solutiones aenigmatum numeri I.

1. Pax Domini sit semper vobiscum.
2. Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones, unda vehit tigres.

3. E d e
 Q H o r a
 a s ■ s ■ t u
 r u s ■ s i v
 a c ■ a ■ u a
 c a l f s
 b o s

Aenigmata recte dissolverunt: Joannes Riesz (gymn. evang.), Andr. et Tib. Szollár (gymn. r. Univ.), Magd. Fajcsek (Sophianum), Iud. Balogh, Marg. Boros, Cath. Laufer, Hel. Papp, Marj. Schützer, Viola Szende, Elis. Poporczi, Hel. Vranovits, Anna Polly, Iud. Szabó (VII. cl. B) thgymn. P. Veres), Emer. Farkas (gymn. S. Ladisl.), Anna Mayer (Ursulanum), And. Biró, Steph. Fálbizoner (gymn. r. Fáy), Osc. Habersack, Ad. Baldermann, Lev. Hibbey *Budapestinenses*. — Andr. Pusztai, Aug. Pavlik, Car. Tokai *Agrienses*. — Lad. Faragó *Jászberényensis*. Tib. Rédei, Steph. Vermes, Ioan. Polgár, Lad. Málek, Steph. Lázár, Lad. Schneer *Magna-Canissenses*. — Rud. Kancz *Sabariensis*.

Praemium sorte Iudithae Balogh, Rudolpho Kancz et Ioanni Riesz obvenit.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Negotiorum curator: F. Kohl iun.

1. Aenigma crucis.

1	2	3		
4		5		6
7	8		9	10
11		12		13
		14	15	
	16			

*Series libratae:*¹ 1 = accedo. — 5 = non sua sponte (retrorsum). — 7 = coniunctio. — 9 = instrumentum volandi. 11 = coniunctio negativa — 13 = praepositio (retrorsum). — 14 = coniunctio. — 16 = instrumenta pugnandi.

*Series directae:*² 2 = caelicolae. — 3 = coniunx Adami. — 4 = ex familiis constat. — 6 = radix verbi significantis «offendit». — 8 = acc. pronominis «tu». — 10 = sexaginta. — 12 = Quare? — 16 = T. M.

Eug. Magurányi
disc. gymn. r. Univers.

¹ vízszintes = wagerecht ² függélyes = senkrecht

2. Dissolvendum ad saltum equulei.

Di	ti	di	pit	ne	bet
um	e	be			
qui	mi	fac	co	ha	

Steph. Imre
disc. gymn. r. Arpadini.

3. Magna vis sum aquae et nunquam loco maneo; resecta prima littera, quod restat, sol, luna, sidera et lucerna habent.

Steph. Csics.



Corrigendum numeri I. pag. 3.: «republicam repraesentantes» interpone: «litterariam».

Dolendum est, quod ne nunc quidem locus mihi tot sociis lectoribusque litteras et manuscripta mittentibus responsuro, relictus est. Fieri non potuit, quin ad nonnullos litteras privatas darem.

Conclusio III. numeri adornandi Non. Nov. (5. die Nov.)

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)